

tificæ confisi non erubescant pa-
sim jactare, apud ipsos solos vi-
rere veram scientiam, suos erro-
res demonstratos esse ac demon-
strari solos posse; atque adeo sa-
nam rationem ac *Fus naturæ* in ipso-
rum tantum erroribus consistere:
contra Catholicos omnes, & quid-
quid Catholicum est, esse *sane*
rationi atque adeo *Juri naturæ* ad-
versum, adeo ut D. Chladenium
Erlangensem non puduerit nuper
dicere, Catholicum dogma im-
possibile esse scientifice tractare,
hoc est ad sanam rationem redu-
cere.

Quamobrem volui ostendere,
vana esse hæc terriculamenta, fal-

Ad Te vero jam tandem EMINENTISSIME PATER ANGE-
LE MARIA QUERINI ! qui Mathematum in adyta haeternus pe-
netrasti, ut juvenis etiam Principis Mathematicorum problema ad
tribunal recte evocares tuum, qui heterodoxos Germaniae nostrae
tanta cum gratia invitas, qui viciissim maximi, quod necesse est,
tuam & doctrinam & eruditionem faciunt, ad Te, inquam, tuum
que sapientissimum tribunal totam hanc de mathematica, vane, ut
mihi videtur, dicta methodo depono. Quæ mihi visa sunt, cur
Illustris Wolffii modus tractandi scientias *nec methodus sit, nec scien-*
tifica, quin nec Mathematica, quemadmodum potui peroravi.
Quoniam autem meo judicio stare superbum foret, hinc est, quod
tuam sententiam efflagito. Neque metuo ut judicium tuum sub-
terfugiant adversarii in re pertinente ad disciplinas, quarum
in Te vim esse acerrimam facile omnes agnoscunt.

L. O. G. D.



卷之三

卷之三

卷之三

SPIRITUS LEGUM BELLUS, AN & SOLIDUS? DISQUISITIO.

NOLITE OMNI SPIRITU CREDERE.

I. Joan. IV. v. 1.

A U T H O R E
P. ANSELMO DESING,
Benedictino Congregationis Bavaricæ,
Eminentissimi Cardinalis de Lamberg,
Episcopi & Principis Passaviensis &c.
Consiliario.

Cum Facultate Superiorum.

PEDEPONTI , vulgo Stadt am Hof bey Regenspurg.
Sumtibus JOANNIS GASTL , Bibliopolæ , 1752.

VIRO SUMME REVERENDO ET
ILLUSTRISSIMO
JOANNI
GUALBERTO
BECCARIO
CASINENSIMUM ABBATI
PATRI ABBATIAE S. MARIAE
QUOD EST
FLORENTIAE

Cui nomen dederat Eminentissimus jam S.R.E.
Cardinalis ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E.
Bibliothecarius Episcopus Brixiensis Zelosissimus,
Quod me sociumque P. D. Sigismundum Poschinger hospi-
tio & caritate exceptum fotumque, muneribus etiam sacris
auctum ægre dimiserit,

Ipsi suisque Doctissimis Clientibus
Tenui hoc grati animi monumentum
Do Dedito.

Cliens Devotissimus
P. ANSELMUS DESING, Congrega-
tionis Benedictino-Bavaricæ Monachus.

LECTORI PRUDENTI.



Uod Perillustri D. Wolffio soleme ne est, id ostendit etiam *Spiritus legum* auctor, cuius nomen quod ipse occulere voluit, prodere ad nos nihil attinet, qui neque nomen examinamus, neque auctorem, sed librum. Nimirum tam Illustris Wolffius s^apē, quam hic auctor in brevi sua defensione dicunt, *se suosque libros non intelligi*.

Evidem miseret me Virorum illustrium, quorum tam libri non intelligantur.

Sed hæc quoque nos causa adegit, ut cum de Wolffii libro ageremus alicubi, non raro hypotheses quasdam constueremus, incerti quo sensu Wolffius intelligi vellet; aut potius eo fine, ne, si naturali sensu dicta Wolffiana acciperemus, ille deinde nobis objectaret responsi loco: nos ipsum haud intelligere, aliter se sentire. Id ipsum de Spiritu legum nobis faciendum est, & hypotheses non raro faciendæ.

Igitur in limine operis curandum mihi est, quid dicam iis, qui mihi forte vel ante vel post lectum meum librum objicient, *Nec me nec alios penetrare in integrum materie connexionem, coherentiam, ac mentem auctoris.* Plura sunt, quæ his respondeam.

1.mo Possem objectioni dare locum, ac dicere ego quoque, nec me nec alios intelligere mentem auctoris & coherentiam. Quid hinc sequatur? illud forte sequetur, nec reperiri in libro coherentiam, & auctorem data opera suam mentem occuluisse, aut ita infeliciter exposuisse, ut capi tam ab hominibus subtilitatum non imperitis non possit.

2.do Respondeo, velim mihi ab alio quovis exponi, quæ demum sit mens auctoris? discam evidem libenter.

LECTORI PRUDENTI.

At ego suspicor, si ex decem ego viris de auctoris mente exquiram, decem inter se pugnantes sententias prodituras. Ex quo mihi fit manifestum, *primo*, Latere, aliquid in hoc libro velut argiuem in herba, quod auctori propositum fuerit celare. *Secundo*, ex diversis aliorum de mente auctoris sententiis fit manifestum, non ita scripsisse auctorem, ut mens ejus possit capi. *Tertio*, nec mihi vitio vertendum qui non ceperim. *Quarto*, periculosam esse scriptiōnem auctoris, & veteri dignam. Sicut ignoraris bombardarum usu interdictum. Sicut ipsae divinæ litteræ è manibus ignorantium arcentur.

Respondeo Tertio. Cum pauci forte interrogati erunt consentientes de mente auctoris hujus, potius ad ipsum auctorem recurrendum est, petendumque ut ipse de se loquatur. Locus proprius quo scriptores mentem suam exponunt, solet esse Praefatio. Legat aliquis præfationem hujus auctoris, oro, mihi que deinde edicat, quid sibi auctor proposuerit? Si neque hic connexionem argumenti sui neque propositum sibi scopum appetit, neque quid velit per libri reliquum pandit, latere vult, & lucem odit, & tenebras amat, & inidoneus est dux, quem vel unus sequatur.

Respondeo Quarto. Hic jam palam & coram orbe veri cupido obtestatur & ipsum libri auctorem, & alios qui credunt se hunc intelligere: *Edicant, obsecro, & exponant nobis mentem & finem hujus librī,* quandoquidem alii eam non intelligunt! Rem facient dignam & necessariam. Quippe ob flosculos & exsilientes scintillas multum legitur hic liber, à multis laudatur, multi contendunt vera illum dicere. Interest reipublicæ ut intelligatur, quid sit illud, quod laudatur, quod verum esse à nonnullis existimat. Nam si non intelligitur, & tamen ut verum laudatur, nemo non videt periculum, maxime cum aliis aliter accipiatis, & quandoque contradictorie, ex quo necesse est aliquos falli ac perverti, nisi demum mens auctoris à quocquam clare exponatur.

Respon-

LECTORI PRUDENTI.

Respondeo Quinto. Auctori & aliis ejus patronis non est causa cur diutius nos celent mentem hujus libri. Nam si bona est mens, si finis bonus, edicenda est, ut liber hoc libentius legatur, ut magis prosit, ut ii, qui in eo deprehendunt mala, doceantur errorem. Sin est mala auctoris mens, non est cur eam celent. Nam quamdiu celant, hoc ipso confirmant suspicionem mali. Cum primum prodiderint malam mentem, poterit forte adhiberi medicina, & quæ mala sunt corrigi.

Respondeo Sexto. Ego quidem & in ipso auctore & in aliis qui putant se illum intelligere, existimo adesse obligationem gravem, uti in mentem illam nobis ignoratam prodant. Necesse est enim offenditionem animorum seu scandalum fraudulentio hoc libro excitatum tolli maxime ab iis, qui illius vel causa sunt vel fautores & libri commendatores.

Respondeo Septimo. Offensionem autem fuisse excitatam, & multos in malam partem intellexisse hunc librum, res est nota. Legimus etiam litteras eorum, qui librum laudibus extollunt: cur autem? eo fere solum nesciunt hæ laudes, quod auctoris mens sit Catholicæ religioni, institutis, sacerdotiis, rebus nocere, & auctoritatis humanæ divinæque jugo exuere hominem, ac libertinismum regnare facere. Petimus ergo ab auctore ejusque intellectoribus, ut nos doceant, hanc non esse mentem auctoris sed contrariam. Et non sati fiet nobis, nuda assertio ne ipsorum: sed debent, ita eos oramus, nos docere, quomodo ipsius sententia veræ esse possint, si non sic sunt intelligenda: aut quomodo possit esse mens auctoris bona cum mala scribit?

Respondeo Octavo. Hanc malam esse mentem auctoris, conjecturam non vanam præbent alia opuscula, quæ huic eidem auctori adscribuntur: certe eodem stylo ac spiritu scripta, & huic similia ut ovum ovo. Nemo à me obtinebit ut ea nominem, qui optem ea æternis tenebris esse sepulta, quod venenosa sint & pestifera.

Respon-

LECTORI PRUDENTI.

Respondeo Nono. Si cuiquam ex ipso libro , aut ex cūjuscunque professione constaret , mentem atque intentionem auctoris bonam , imo optimam esse , nihilominus liber est manus ; quia principia ejus , argumenta , sententiæque hinc deductæ , sunt ancipites & lubricæ , sunt fallaces & sophisticæ , sunt multæ repugnantes Ecclesiæ Catholicæ , sunt damnatae publica sacra auctoritate . Hæc autem sufficiunt ut liber sit noxious , tametsi auctoris mens esset innocens . Baji , Jansenii aliorumque sententiæ damnatae sunt non ob sceleratam auctorum mentem , sed ob ancipitem , periculosam , aut olim jam proscriptam doctrinam .

Respondeo ultimo . Quidquid sit de mente auctoris hominis , librum hunc dico habere hunc scopum , ut Indifferentiam religionis statuat : ut Catholicæ rei defrahatur : ut sub affectu nomine præjudicij non tantum Ecclesiæ sententias explodat , sed ipsam auctoritatem decernendi eidem adimat : ut denique in contrarium verso errore omnibus aliis præjudiciis falsis æternitatem conciliat , solis præjudiciis veris Catholicis rejectis & subratis .

Hæc ita ex libro illius apparere sequente hic scriptione ostendere labore . Simul autem profiteor , me illico daturum manus , atque alio scripto palam facturum me ertasse , si vel auctor vel alias mihi ostenderit diversum , nempe Auctorem spiritus legum impugnare Indifferentissimum : promovere ac propugnare rem Catholicam : præjudicia cetera falsa evertere , Catholicæ autem vera confirmare : Auctoritatem Ecclesiæ stabilire .

Age prudens lector , & aliquot horas huic operæ impende , ac tum me corrigere , non me solum sed multos corixeris . Vale .

ELEN-

(0)



ELENCHUS OPELLÆ.

N um. 1. 2. 3. &c. Protestantum de Juris naturæ à se invento falso gloriaiones effecerunt , ut jam quilibet suo privato spiritu regi & se & rem publicam velit .

Num. 6. &c. Huc spectare videtur Liber nuperus sub titulo specioso . Spiritus Legum : L' Esprit des Loix .

N. 11. Auctor illius ostendit , se esse bellum ingenium : Bel Esprit , & elegantis Rhetorica peritum : sed non solidum , imperitum legum recte ratiocinandi .

N. 12. &c. Rursus esse Puffendorffii discipulum , eoque pejorem , & cautissimo lectore opus habere . Hoc ostendere in hac mea opella mihi propositum est .

N. 14. &c. Auctor spiritus legum viginti annorum labore se commendatus , debilitatem suam prodit , qui tanto tempore non potuerit sophisticata sua ipse animadvertere .

N. 18. Vult aut totum librum suum probari , aut totum damnari . Id irrationaliter est .

N. 19. 20. &c. SCOPUM suum consulto celat , more fraudulentis jacularis . Revera autem ejus scopus est ipse Puffendorffianus .

N. 22. 23. Excusatio auctoris falsa , se non scribere , quales debeant esse leges , sed quales sint .

N. 25. &c. Alterius auctoris Galli melior ac sanior de statu hominum sententia , qui Philosophorum temeritatem castigat , & Revolutionis divinæ necessitatem ultra rationem agnoscit .

N. 28. Debilitas auctoris in spiritu legum prodita .

N. 30. &c. Ancipites locutiones auctoris , ubi definit , quid sit Lex . Fato gentili propinquia dicit , etiam ubi verbis protestatur .

N. 35. &c. Difficile est invenire , qua de re propositum fuerit auctori scribere .

X X

N. 38.

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 38. seqq. Monstruosissima ejus definitio spiritus legum usque ad Num. 58. at multa immixta sophismata ac falsa.
 N. 43. Quam impertinenter immisceat doctrinam de Tellure planeta. Tautologie insipida.
 N. 45. seqq. De Jure gentium ejus falsa & sophistica & periculosa doctrina.
 N. 53. Definitio auctoris adhuc continuata sibimet adversatur.
 N. 54. De legibus civilibus impertinenter loquitur, in definitione spiritus legum nondum finita à se.
 N. 55. Leges civiles an debeant esse propriæ uni populo?
 N. 56. De relatione legum ad formam regiminis confuse dicta. Excusationem suammet precludit.
 N. 57. Tandem finit auctor Definitionem spiritus legum.
 N. 59. Longissima omnium definitionum reducitur ad tria capita:
 (1. Relatio legum ad naturalia elementorum. (2. Ad natura-
 lia ingenii humani. (3. Ad Religionem qualemcumque.
 N. 60. Omnes istos respectus habens lex nihilominus potest esse injusta: ideoque carere spiritu legum, qui nobis videtur esse Justitia.
 N. 61. Excusatio vana auctoris, se non scribere, quales debeant esse leges. Vid & num. 22.
 N. 63. An ullus Scholasticus tam monstruosam definitionem ediderit?

Pars I. Disquisitionis.

De Spiritu Legum nato ex naturalibus Elementorum.

- N. 64. Elementa non sunt spiritus legum sed materia valde remota.
 N. 66. &c. Relatio alia Physica alia moralis. Auctor male distinguis male docet. Aut ratio non gubernat populos, aut aëris non est spiritus legum &c.
 N. 69. Auctoris querela, non intelligi suum librum: vera est, quia nihil in eo coheret.
 N. 70. Auctoris & Wolffii comparatio in jure natura.
 N. 71. Spiritum legum solummodo constituit in climate

N. 72.

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 72. Cutem & fibras stringente vel laxante: que cutis format characterem animæ. Argumento est lingua vervecis microscopio considerata.
 N. 73. Confutantur sophismata.
 N. 76. Ejus sententia tollit libertatem arbitrii humani.
 N. 77. &c. Probatio auctoris falsa & sophistica. Balneum non format characterem animi. Experientia repugnat.
 N. 81. Falsum exemplum: in bello Hispanico populos boreales vigorem amisisse ab calorem climatis. Omnibus historiæ repugnat auctor.
 N. 82. &c. Clima non format characterem animi, experientia multa contraria.
 N. 85. Contradiccio & repugnantia in sententia auctoris, experientiâ historiarum ostenditur.
 N. 86. Auctor agnoscit suam contradictionem in Indis, & misere eidem medetur, admittendo contradictoria, tametsi elegantibus verbis fucum faciat.
 N. 87. Sequela ex auctoris hac doctrina omnes populos & principia morum confundunt.
 N. 88. Aliud remedium querit vulneri auctor denique in ratione, sed inaniter.
 N. 89. Contradicit sibi dum Asiaticis minus ingenii tribuit.
 N. 90. Nec ratio potest mederi climati, utpote cuius character formatur à climate.
 N. 91. Ad veram rationem non potuit ascendere auctor vel noluit.
 N. 92. Alia implicationes auctoris de fibris borealium sapientiam efficientibus.
 N. 93. Religionem in Oriente immutabilem esse dicit auctor obdilitatem fibrarum.
 N. 94. &c. Hæc falsa esse docent historia. In Oriente religio magis mutata fuit, quam in Occidente.
 N. 99. Admisso, vera dicere auctorem, false tamen sunt ejus rationes.
 N. 101. Sibi repugnat auctor, calidum & frigidum ex eodem pculo propinans.

XII 2

N. 102.

ELENCHUS OELLÆ.

- N. 102. Indi ex auctoris sententia facile cedunt omnibus impressionibus, & iidem sunt immobiles, ubi auctor vult.
N. 104. Ex auctoris sententia Indus est incapax omnis motus & idem est summe ac facillime mobilis, utrumque vi ejusdem climatis.
N. 106. Auctor limites Religionis Christianæ positos fuisse à climate ait, itidem Mahomedicæ.
N. 107. Igitur clima Orientis vetat, ne Asia sit Christiana, Europa Mahometana:
N. 108. Et imprudenter Missionarii in Asiam excurrunt. Cur autem mercibus non ponitur limes à climate!
N. 109. Falsitas manifesta auctoris. Religio Christiana viguit & viget in Asia: nec clima eam excludit. Nec Turcae creparent in Europa.
N. 111. Vana limitatio auctoris: Humanitus loquendo: ostenditur.
N. 112. Ex lingua vervecis microscopio considerata multo vaniora quam auctor viderit, cognoscì possent de Legum Spiritu.
N. 114. seqq. Leges non debere obsecundare vitiis climatis sed resistere, dicit auctor. Sed vana sunt verba, ejus sententia repugnantia. Ostenditur.
N. 116. Si dicat Indo lex: Labora: ille respondebit: Clima me facit incapacem ad omnem conatum, ex mente auctoris.
N. 117. seqq. Aliæ sequela hujus doctrinae.
N. 120. Spiritus legum non consistit in obsecundando nec in resistendo climati.
N. 121. Angli juxta auctorem se ipsos occidunt vi climatis. Ejus contradictiones. Nec suicidium in Anglia puniri potest.
N. 123. Igitur falso dixit, Leges debere resistere vitiis climatis.
N. 124. Contradictoria sequuntur ex principiis auctoris in climate constitutis. Comparatio auctoris cum Puffendorffio.
N. 125. Iterum sibi contradicit auctor.
N. 126. seqq. Adversarios suos auctor dicit parum Philosophiae habere. Ipse tamen fassus sua principia contradictoria esse videri vult Philosophus.
N. 128. Aliæ contradictiones circa clima tanquam Spiritum legum ostenduntur in Japonibus, Russis.

N. 129.

ELENCHUS OELLÆ.

- N. 129. Auctor clima terre distingui posse ait ex sensibilitate populorum. Absurda hinc nascentia.
N. 130. Servitatem ex climate nasci fabulosum, & omni experientia ac historiis repugnans.
N. 131. Tellus influit in leges. Falsa auctoris principia repugnant historiis & experientia. An Ukrainia inulta ob clima servitatem generans? an potius ob libertatem?
N. 132. Contradictoria principia auctoris eundem populum faciunt mollem & rigidum &c. Belle auctor barbaros dicit populos, quæ Sacerdotibus dant aliquid posse. Unde nobis tota Europa, & orbis terrarum barbarus erit.
N. 133. Idque sentit dicitque auctor de religione Christiana.

Pars II.

De Spiritu Legum nato ex naturalibus ingenii humani.

- Num. 134. Confusa auctoris scriptio de legibus, respectibus, principiis. Nec tractat quæ in titulo promiserat, sed plane omittit.
N. 136. Quomodo posset deprehendi, in quo constituat auctor Spiritum generalem.
N. 137. Sibi repugnat.
N. 138. Differentia inter homines feros & alios perperam assignata: & repugnans auctoris doctrinae.
N. 139. Ex hac differentia hodie Natio Gallorum esset fera.
N. 140. In statu despoticō nunquam mutandos esse mores ac ritus. Cur?
N. 141. Hanc regulam suam maximam falsam esse ipse agnoscit auctor.
N. 142. Et sibi contradicit; etiam falsa causa allata.
N. 143. seqq. Justitiae cura nulla est auctori. Defutura vita videtur sentire cum Puffendorffio in scopo Juris naturae assignando. Sanctos Patres arguit justitiam ignorasse, quia pro rebus hujus vita non fuerint sollicitiores. Falsa, Puffendorffio, Barbeyraco similia.
N. 145. Auctor impugnans celibatum tamen protestatur, se non impugnare.

X X 3

N. 146.

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 146. Vituperat celibatus patronos: & Christianam Religionem, inventum hoc Philosophorum stabilientem. Christo injuria sit. Perfectionem virginitatis pro imaginaria habet,
N. 147. Eamque irridet. Ejus contradic̄tio in uno balitu oris.
N. 148. Excusationes auctoris fictæ ad tegendum finem & animum suum.

Pars III.

De Spiritu Legum nato ex Religione quaeunque.

- N. 149. Auctor se excusat non ut Theologum tractare de spiritu legum. Puffendorffii similis excusatio, & Wolffii.
N. 150. Unde possit deprehendi propositum alicujus auctoris? Titulus prodit, hunc auctorem agere velle ut Theologum; qui spondet agere de dogmate, & de Religione in seipsa.
N. 151. Alia auctoris sophistica & periculosa excusatio, Naturalistas fovens, contraria DEO.
N. 152. Fatetur auctor se aliquando non attendisse veritatem sublimem, & aliqua sua posse esse non ex toto vera.
N. 153. seq. Vana distinctio veritatis humana & sublimis. Si per veritatem sublimem intelligit Revelationem, sequitur eum negligere istam in suo opere. Hoc docent heterodoxi larvati Juris naturæ scriptores.
N. 155. Excusatio, Interesse religionis se non postponere. Interesse politico: falsa est.
N. 156. Veritatem religionis re ipsa postponit utilitati politicae. Veritas autem est interesse religionis essentialis. Scopus auctoris est, ut quisque amet suam conditionem & statum in quo se inventit, atque adeo etiam religionem qualisqualis sit.
N. 157. seq. Respectum religionis ad regimen politicum constituit auctor in subjectione religionis erga temporalem utilitatem.
N. 159. seq. Speciosa excusat se auctor: se Christianam religionem assumendam, Mahomedanam abiciendam dicere. Ejus doctrina excusatione repugnat.

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 163. Auctor principalem finem religionis ponit, ut cives bonos efficiat, sive in civitatis utilitate.
N. 164. Et quidem religionem etiam veram subordinat utilitate etiam false. Christo repugnat, excusationem sibi precludit.
N. 165. Parum solide loquitur de veritate & utilitate dogmatum, & falsō.
N. 168. Auctor cum Puffendorffio manuducit ad abusum:
N. 169. Et quidem ad necem sibi inferendam.
N. 170. Nec potest hic juvare auctor spiritus legum.
N. 172. Subtile Sophisma de Spiritu legum everso, cui repugnetur, si consilia Christi leges fiant.
N. 173. Quis sit spiritus legum Christi auctor non prodit: & tamen de eo decernit.
N. 174. An auctor spiritum legum Christi reponat in subordinatione illarum legum ad civitatem: & quid sequatur? Consilia Christi non repugnant civitati, et si præcipiantur. Experientia.
N. 175. Si spiritus legum Christi consistit in subordinatione civitatis ad illas leges, sophisticatur auctor.
N. 176. Religio, ait, non debet dare multa præcepta. Multa ejus perperam dicta & repugnantia.
N. 182. Damnat præceptum celibatus certo hominum Ordini impositum; quia multis legibus deinde opus fuit ad urgendas observantiam hujus præcepti.
N. 183. Sophisma hoc est. sic enim neque furtum prohiberi debet.
N. 184. Aliud Sophisma.
N. 185. Cur auctori sole leges pro celibatu videntur infinitæ, nulla alia?
N. 186. Sophisma hoc evertit legem naturæ: cuius observanda causa omnes aliae leges etiam divina sunt late.
N. 187. Celibatus Cleri præcipue mordet ut hereticos, ita hunc auctorem.
N. 188. Celibatum & generatim & in certo ordine rejicit auctor.
N. 189. Et quomodo excusat, se hic non agere theologum?

N. 190.

ELENCHUS OPELLÆ.

- N. 190. Agit Theogum, sed hæreticum.
N. 191. An Ecclesia præcipiat hominibus celibatum?
N. 192. Christus etiam conditionate præcipit juveni cælibatum.
N. 193. An cessatio sectæ Stoicæ sit magna calamitas generis humani.
N. 194. Sophisma auctoris mutuatum ex Puffendorffio: homines nati sunt ad edendum: ergo vita contemplativa male instituitur per religionem.
N. 195. Nimiam speculationem dicit auctor, quinque momentis per diem annum convertere ad DEUM, & ex hoc totum perditum existimat.
N. 197. Omnia momenta debemus DEO. Repugnabit auctor, & cum Christo mercabitur.
N. 198. Videtur à pœnitentia excludere contemplationem.
N. 199. Implexa auctoris antitheta.
N. 200. De vita futura colludit auctor cum Puffendorffio Christianos desperationis insimulante.
N. 201. Auctor in defensione sua, ait, se Christianæ religionis excellentiam prædicare. Hoc dicit aliquot verbis, sed Spiritus ejus aliorum tendit; quia eam subordinat utilitati caducæ: veritatem in ea non attendit &c.
N. 202. Hoc docetur.
N. 204. Scopus auctoris in toto libro videtur esse, ut defendat, omnia que nunc fiunt, optime fieri, qualiacunque sint. Præcipue ut omnes religiones maneant quales sint, sola fere exclusa Catholica, quæ valde mutanda ei videtur.
Ex hoc ejus libro si quis ejus principia in usum deducat, aut fiet Calvinus, aut novam sectam cuendet, aut erit è numero sic dictorum honestorum puerorum, Ehrliche Recl; hoc est Naturalistarum & Indifferentium.
N. 205. Libenter admittam, auctorem excusari, eum non ex decreto malum esse, sed errasse tantum. Hoc certe contendo, eum sublimi ratione, quam promiserat, excidisse: *hoc est bellum spiritum esse, sed vanum.*
N. 205. Mibi objicitur: Revera ita vivi secundum clima, ut auctor spiritus legum exponit: igitur me in pedantisimum incidisse.
N. 207. & Confiteor mundum revera sapissime male vivere, climate homines libenter abduci ad sensualitatem, torporem &c.
N. 208. Sed & hoc certum est, in homine esse aliquid his malis contradicens.
N. 210. Sed Spiritus legum, aio ego, non consistit in hoc ut maneat quisque qualem se invenit, quod auctor suo labore impetrare optavit.

INGRES-

(o)



INGRESSUS SERMONIS.

i.



X quo Protestantium clamores de Jure naturæ varii, dissoni, unaque alti Europam circumsonant, & patentibus pasim auribus bibuntur, non parum se mortalibus hæc scena mutavit. Antehac paucos in Europa numerabamus Principes; subditi & mandatis parentes omnem numerum absolvebant secundum illud: *Omnis anima altioribus potestatibus subdita fit.*

2. At jam in ista scientiarum, quæ jactatur, luce, in ista Stoici fastus resuscitatione tot reges quot homines, tot legislatores quot scholarum moderatores su-

spicimus: ut, si verum est illud: *In corruptissima republica plurimæ leges: Germaniam præcipue nostram minimo ab interitu intervallo distare necesse fit.*

3. Ex quo enī pauci Iudorum Heterodoxorum magistri legem tulere pragmaticam omnibus quaqua versum populis sanctam (solis per Heineccii gratiam exceptis iis, qui plane obbrutuerunt) ut *Jus naturæ NISI SOLA RATIONE discere piaculum sit; idemque tamen ad moderandam rem publicam & omnem hominum vitam sit unice necessarium, ampli se objecit catastrophe. Larvæ, Lemures, Harpyiæ, & quidquid obscœni adhuc in angulis delituit Auctoritatis metu, nunc terribili*

A